



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

1. Dies Martii. Abjicuntur illa omnia, quæ præsentem hanc vitam faciunt brevem occupationi; longam dolori. Eucher. de contemp. mund. 11.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

I. DIES MARTII.

Abjiciantur illa omnia, quæ præsentem hanc vitam faciunt brevem occupationi; longam dolori. *Eucher. de contemp.mund. II.*

Tempus I.
est semen
Æternitatis.

Ordiris hujus anni mensem tertium, quem opto tibi esse secundum. Utinam incipias Deo cùm novo mense, servire nova mente. Ad novam vitam animum adjicies, si (ut monet tessera) abjicias illa omnia, quæ vitam tuam faciunt brevem occupationi, longam dolori. Quæ sunt illa, nisi quæ mentem abducunt à felici æternitate, & adducunt ad infelicem vanitatem? Illa hoc mense abjice, & serio cogita, ne tenon cogitasse, aliquando sero pœnitentia, tempus hujus mensis, esse sementem Æternitatis. Magnum profectò, atque omnium maximum est salutis & Æternitatis negotium, totum tamen vertitur momentis vitæ brevissimæ, rapidissimæ, irrevocabilis, semperque de exitu suspenſa, quæ proinde momenta, sunt centum oculis observanda, totidem manibus à nobis occupanda, non nobis vacua excidant, frustreturque nos occipitio calvo, reibene gerendæ occasio, si adventante non invaserimus. Nihil opus veterum symbolis, ut intelligamus occasionem esse præcipitem.

II. Ponamus tantum inde prolixissimam primo-
rum in mundi incunabulis mortalium vitam, hinc

L

Æter-

Æternitatem : & hujus sementem mirabimur tam
exiguâ illâ (quæ longa videbatur) contineri : nostri
verò ævi, quod degimus tam brevis, & momentanei
tempus quantuluncumque est, æternitatis lucrum
esse; & quâm stultum, si juvet etiam aliquid de eo de-
mere, quod in ludicra conferamus. Hoc rursus tam
breve, cum æque incertum sit, & saepe tridui clauda-
tur ungue, quod fore nonagenarium putabatur, quâ
seu fronte, seu prudentiâ, hoc ipsum omittimus, vel
occupamus languidius, quo uno possimus immorta-
litatem promereri, nunquam postea reddituro? Nugæ
mihi videntur quidquid de temporis prelio scripto-
res Ethnici dixerunt, præ iis quæ docet Christiana,
quâm ignorabant, æternitas, (a) At S. Bernardus de-
plorat cùm nihil sit pretiosius tempore, nihil tamen
vulgo haberi vilius: gravissime que arguit horam pœ-
nitentiaæ, veniaæ, gratiaæ, gloriaæ destinatam, otio, fabu-
lis, apinis, & affaniis donari. Nos verò quanto acer-
bius objurgabit, lacerabitque æterna pœnitudo ne-
glectæ opportunitatis, quâ brevi compendio cælum
nobis asserere poteramus.

III. Quid latro infelix, beatum intuens criminum
socium, sed pœnitentiæ (si non ei pertinax obstetisset)
felicissimum magistrum? Quid tu? quid ego? si quod
absit, tam execranda sors nos interceperit, quid alius
quisvis inter fontes æternis addictos ignibus, quo fle-
tu, qua rabie, quibus ululatibus inculaturus sit illam
socordiam, qua possessionem summi Boni excuti sibi
de manibus non modò patiens tulerit, sed eam
sponte respuerit? quâ amarâ recordatione revocatu-
rus articulos temporis, quibus flamas illas serviles,

(a) Serm. 75 in Cant.

Martius.

Tessera.

163

& atroces vitare, Regnum illud perpetuum, ac secundum nullo negotio, levi que brachio valuit comparare? Porro etsi omne vitæ tempus, futuræ sit seges beatitatis, sunt tamen in eo quædam opportunitates occasionum utrumque maximarum, Deum nobis vel multum demerendi, vel non parum offendendi. Tale fuit Josephi fuga ex adulteræ manibus, quantò periculosisior, tantò securior, fortior, & gloriofior: tale Susannæ constantia, certo deliberatæ mortis discrimine, incestorum frangens libidinem. Tales actus Heroici, quibus manu violentâ, affectus charissimos Divinæ obedientiæ jugulamus. Hac occasione uti oportet, dum licet. Est enim grande Dei beneficium, quævis molestæ pugnæ materia, quia est semen excellentis victoriarum; eam verò tanti quæstus materiam, ut nemo prætereat nisi hebes, & futurus mercator, sic ista Divinæ Bonitatis egregio facto nobis obstringendæ commoda argumenta, nemo, si modò vir fuerit, elabi sibi patietur. Utendum occasione, moneris hoc poëmate:

Ferrum quando calet, crudere quisque valet.

2. DIES MARTII.

Quod fecit Deus non potest esse malum,
si ipse homo non sit sibi malus. *Augustinus 24. in Ioan.*

Inclinans ad I.
Perfectionem,
primo declinans
à malo.

Cum esses parvulus, didicisti in schola Prisciani, declinare nomina; ja vir factus, disce in schola Christi, declinare
L 2
vitia.